

PALATINO SELECTUS.

135

chum interfecisset, Heraclidam ejecisset, Timarchum ut Rebellem occidisset. Figuram adversæ sedentem Apollinem interpretatur Cl. VAILLANT muliebri vestitum habitu. De eo jam dictum. Cornu copiae quod tenet & Sagitta, DEL, an Regis? virtutem, indeque orituram Regni felicitatem designant. Lauream Apollini sacratam nemo nescit.

XXII.

EIUSDEM  
DEMETRII.



**I**N Demetrii Honorem ab Antiochensibus hoc Numisma percussum, Inscriptio docet. Pars antica Caput Apollinis Laureatum exhibet, Aversa Pegasus pleno cursu salientem. Apollini campos circa Antiochiam à Conditore Seleuco sacros modo diximus. In memoriam revocetur Daphne delicias Antiochia suburbium, quod ex variis Authoribus descripsit & delineavit ORTELIUS. Pegasus an ad Apollinem, an ad Famam Demetrii, & Gloriam referre libeat, liberum esto. Fortè & ad Perseum respicere placet, qui Pegaso originem dedisse, & Syros devicisse CEDRENO memoratur.

**D**emetrio occiso Regnum occupavit

XXIII.

ALEXANDER THEOPATOR



**D**E Theopatoris Origine variæ sunt Authorum sententiæ: Quidam Antiochi Epiphaniis Filium ferunt, quidam incertæ stirpis, ideoque Theopatora dictum, quasi DEUM Patrem haberet, cum vulgò à Matris nomine Balas nominaretur. Quicquid sit, & in Regnum Syriae contra Demetrium admissum, & Ptolemæo, ductâ in matrimonium Filiâ ejus, affinitate junctum, vel ex Sacris Paginis constat. In Numismate utriusque Effigiem & Alexandri & Cleopatras cernimus. Hæc quidem honoratior & loco